



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vera Concilii Tridentini Historia

Contra falsam Petri Suauis Polani narrationem

Pallavicino, Sforza

Antverpiae, 1670

Capvt VI. Res constitutae inter Pontificem & Lotharingum Cardinalem de Concilio. Diploma Pontificis, quo componeretur controuersia de particula, proponentibus Legatis, & quo pacto composita. Aliae ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-11718

suos inferiores æquitatem præ se ferrent, petierunt, vt eodem nexti pariter soluerentur Archipresbyteri & Curiones respectu Episcoporum, excepto dumtaxat ad Diocesanam Synodum celebrandam, aut cum opportunum Episcopo videretur: affirmabantque, huiusmodi consuetudines originem à Synodis traxisse, sed ijs omittis, illas permansisse. Quare Legati, quò tranquillius res procederet, distinarunt duos Episcopos, duosque Archiepiscopos, qui agerent inter se, & opportunum remedium excogitarent; gnari, quanto sit detrimento Senatus concordia, cum Senatores sese inuicem tamquam aduersarios intuentur.

1563.

C A P V T VI.

Res constituta inter Pontificem & Lotharingum Cardinalem de Concilio. Diploma Pontificis, quo componeretur controuersia de particula, proponentibus Legatis, & quo pacto composita. Alia Lunensis dissensiones super articulo de primis instantijs. Pontificis sententia in complures Gallia Episcopos lata; & voluntas procedendi aduersus Reginam Nauarra; sed oppositum Legatorum consilium. Mandata ab ipso tradita ad Concilium terminandum. Lotharingus Romam profectus. Eius Venetijs transitus. Res ab ipso transacta cum Gallis Oratoribus, qui eò secesserant. Eorum industria ad contestationem sustinendam, efficiendumque, ne Rex amplius ipsos aliosve Oratores ad Synodum legaret. Lotharingus Tridentum regressus. Duo Philippi Regis responsa, alterum ad Legatorum litteras, alterum ad querelam, nomine Pontificis habitam à Nuntio, aduersus ministros regios.

PEndebant animis Legati * in acceleranda Sessione, vbi ex vna parte id fieri posset, & ex altera ignorarent, perbreuè Lotharingum ibi affuturum: sed per tabellarium mandata, vt eum præstolarentur, Romam accipere, & simul eorum summam, quæ inter Pontificem & Cardinalem conuenerant.

* Litteræ Borrom. ad Legatos 20. & 21. Octobris, quibus responsū est.

² Plenè illi Pius satisfecerat, vnde litteras beneuolentiam in Pontificem spirantes scripserat in Galliam Lotharingus, commendatà eius optimà voluntate reformandæ disciplina, & improbatà contesta-

1563. testatione; addiditque, eam se presente non habitum iri. Quæ omnia etiam à Suauì narratur. Româ profectus est vigesimo Octobris, & eodem die scripsit Pontifex ad Legatos ^b prolixam epistolam. In ea dicebatur: Sibi satisfactum fuisse à Lotharingo etiam supra suam, quamuis non modicam, opinionem: sed supra quam opinatus fuerat non fuisse, summas laudes ab ipso virtuti ac solertia Legatorum attributas. Iphis commendabat, vt cum eo reduce perinde agerent atque cum collega, eandemque fiduciam æstimationemque ostenderent ex parte etiam erga Madruccium. Lotharingum reuerti animo inflammato ad celetem, vtilem, honestamque Synodi terminationem promouendam. Quò id facilius, & Patribus acquiescentibus conficeretur, varia Pontificis mandata sequebantur.

De matrimoniis clandestinis à se concordiam optari: vbi ea obtineri non posset, pro maioris partis suffragiis res stabiliretur.

Sibi non displicere, si concederetur Episcopis facultas relaxandi & absoluendi in rebus ad matrimonia spectantibus, & in alijs casibus, dummodò occultis, & ad forum contentiosum non deductis.

Vt leges disciplinae statuerentur de Cardinalibus, seruata cum inferioribus Ecclesiasticis proportione, ad optimum exemplum Ecclesiæ; cum ipse consideret, Patres non nisi rationi consentanea decreturos.

Vt fieret sanctio, quâ facultas tolleretur etiam Legatis à latere, impertiendi sacerdotia mensibus Episcoporum vacantia.

Vt *expectatiue*, hoc est, concessionis primi sacerdotij vacaturi in aliqua Diocesi; mandata *providendi*, hoc est, mandata, per quæ iubentur Episcopi concedere sacerdotia, ipsorum mensibus vacatura, certæ cuiusdam personæ; retentiones, quibus Pontifex peculiaria sacerdotia referuat; aliæque huiusmodi consuetudines, aut restringerentur, aut irrita redderentur, ex Synodi arbitratu.

Vt primæ causarum delationes Ordinariis relinquerentur, quibusdam causis grauioribus exceptis, & illustrium capitum, in quibus etiam litteræ, vulgò *Remissoriae*, ad examinandos testes ipsis Ordinarijs essent committendæ.

Vt in exitu Concilij cuncta Deereta, se & Iulio & Paulo sedentibus confecta, resumerentur, & suo nomine eorum confirmatio sponderetur.

Vt Legati, ex consilio eiusdem Lotharingi, Præsules Hispanos singulatim certos redderent, ab ipsis satisfactum fuisse Pontifici, vt qui sciebat, omnes optimo religionis studio operam suam nauasse; ac

Extat in
Archiuo
Vaticano, &
inter Com-
mentarios
Burgheforū.

ac propterea si quibusdam ipsorum postea libuisset Romam pergere, se libenter eos amplexaturum, & pro rerum opportunitate beneficij affecturum.

1563.

Vt idem significaretur Episcopo Mutinensi, & alijs Italis, qui verebantur ne parum grati essent Pontifici, propter dissensiones in mansionis Decreto.

Rogarentur Archiepiscopus Hydruntinus & Episcopus Parmensis, vt omni studio conferrent operam ad Synodum absoluendam. Quod fortasse scripsit Pontifex, cum audiret, nimiam ab illis emulationem exerceri cum Patribus Transmontanis. Hæc epistola die vigesimoprimo Octobris missa est cum altera ^o Borromæi, quæ breuiter singula capita interpretabatur, simulque satisfaciebat ijs quæ libellus à Vicecomite delatus continebat. Hic tamen non nisi duo notatu digna reperio.

Littere Borromæi Legati 21. Octobris 1563.

4 Alterum est, Lotharingum postulasse, ne Decreta, sancita in conuocationibus Pauli ac Iulij, in Sessione legerentur, sed postea, quod cuius gratiâ fieret, latebat: sed Legati existimarunt, id fuisse postulatum, quoniam si recitarentur simpliciter in Sessione, efficiebatur vt non denuò constituerentur sed potius vt pro certis ponerentur, adeoque vt pro certa pariter poneretur auctoritas illorum Conuentuum, à quibus fuerant constituta, à quorum altero, nimirum celebrato Iulij auctoritate, abfuerant Galli, eidemque contradixerant; atqui si legerentur postea in confesso generali, videbatur nouum de illis examen haberi, & idcirco ibi confirmatam euadere tamquam Decreta præsentis Conuentus, efficaciam illis impertitâ, etiamsi eam antea non habuissent.

Alterum est, eundem Lotharingum fuisse pollicitum, effecturum se, vt omnes Oratores subscriberent: in quo Legati varias difficultates præuiderunt; & vbi aliæ deessent, difficultatem loci superioris. Sed excogitarunt, rem confici posse, si suum quisque nomen signaret pro temporis ordine quo in Synodum peruenerat, sicuti fieri consueuerat in legendis litteris ac mandatis in Sessionibus. Quod obseruatum est postea in enumerandis post Acta edita Oratoribus, qui Synodo interfuerant. ^d

d Acta Paleotti in fine Sessionis 24.

5 Interim ne declaratio à Lunensi postulata, esset offensionis lapis, tutius breuiusque consilium Romæ censebatur, prout Lusitanus Orator suadebat, vt Pontifex ipse eam vulgaret. Idcirco variæ formulæ confectæ sunt, quæ omnes tandem in eam priorem recidebant, quam etiam Cæsar excogitarat, vt declararetur, ex vi huiusmodi verborum nihil cuiquam iuris additum aut detractum perendi,

Pars III.

Z z z z

di,

1563. di, agendi, aut dicendi (numquam tamen vsurpato verbo *proponendi*) ea, quæ secundum vetera Concilia & Canones erant in ipsius potestate. Hac de re iussit Pontifex 6 sex diplomatum exempla dictari, eaque ad Legatos mitti, quod pro ipsorum arbitratu maxime opportunum seligerent: ipsi verò, vt fieri solet in rebus suspitioni obnoxijis, breuissimum seligerunt 7, & per Oratorem Lusitanum, virum cordatum, & amantem concordia, ad Lunensem tulerunt. Sed is expressum non conspicatus id quod optabat, tamen si forma essent amplissima, se difficilem ostendebat. Contra verò Lusitanus ac Cæsariani facti sunt, diploma sibi probari. Denique post multa conuenere, vt declaratio non à Pontifice, sed ab ipso Concilio fieret, cuius Decreto ea verba fuerant adiecta.

f Litteræ Legat. ad Borrom. 28. Oct. & 11. Nouemb. 1563.

Neque in hoc solum cum Hispano decertandum fuit, sed in 6 capite de primis causarum delationibus, quod ipse postularat. Etenim ita conceptum illud cupiebat, vt quamuis esset excepta auctoritas Pontificia, numquam tamen liceret Pontifici causam vllam primò delatam ex iure ordinario cognoscere, sed solum derogato diserte Synodi Decreto, vbi id vellet; qui agendi modus & minus acceptus est, & non absque vituperatione cum absque aperta necessitate vsurpatur. Quare ex vna parte Patrès ad formandum Decretum selecti, qui omnino erant sexdecim ex varijs nationibus, non assenserunt; & ex altera duo Hispani, hoc est, Episcopi Asturicensis & Ciuitatis, in eo tam firmi perstitere, vt in illo capite, quippe dissentientes appositis exceptionibus, subscribere recusauerint formæ à collegis confectæ, de qua in reliquo argumento ipsi plenè concordarunt. Lunensis verò cum Legatis de eo tam acriter collocutus est, vt denuntiauerit, vbi Decretum illud ex voto suo non procederet, nolle se adesse Sessioni, nec permissurum, vt quisquam ex Patribus Hispano Regi subiectis interesset. Sed æquè acriter illi responsum est, hanc agendi rationem minimè decere Catholici pijsque Regis Oratorem, qui Concilij libertatem amaret; ne sibi in animum induceret, eo pacto Sessionem impedire. Id si accideret, Synodum non prolata, sed abruptam iri, cum Legati potius abituri statim essent, quàm ibi manentes tantam indignitatem violentiamque toleraturi.

Dum Tridenti hæc feruescebant cum Hispanis dissidia, Pontifex in Senatu vigesimâ Octobris, secundum relationem Cardinalis Alexandrini, Inquisitorum principis, postulante Fiscus Procuratore, & ex sententia illic prolata à eunctis Patribus Purpuratis, sententiam tulerat in septem Episcopos, in ius vocatos, & contumaces,

ces, propter hæresis indicia, in Gallia; ac præcipuè in Ioannem Monluccium Episcopum Valentia in Gallia, de quo alibi scriptum est. Sed Suavis semper in numeris infelix, eos tamquam quinque connumerat, & sententiam decimo tertio mensis adscribit.

8 Significandum quoque Legatis curavit Pontifex, se decreuisse in eodem Senatu, ut in ius vocaretur Ioanna Regina Navarra, quæ acriter infectabatur Catholicam Religionem, & ut in eam iudicium ageretur: sed illum Præsides dehortati sunt (scripsit etiam Pontifex, id sibi fuisse dissuasum à Lotharingo) ^h admonentes, posse inde graues motus exciri ⁱ in Regina Britannia, & in Germania Principibus Protestantibus, quibus communis causa ac periculum intercedebat. Cum autem rursus audisset Lotharingus, fuisse à Pio peracta in Senatu ea quæ diximus, & quæ se proficiente ille apud se meditabatur, ad eum scripsit ^k, atque ob oculos illi posuit & detrimentum quod inferri videbatur pactionibus cum Gallia, ex eo quoddam extra Regnum actum fuerit tum in eos Episcopos, tum in Castilioneum Cardinalem, antea priuatum, & perturbationes, quas in Republica Christiana excitaret iudicium in Reginam Navarraam promotum. Ad hæc rescripsit Pontifex eo plane die, quo alteris litteris grates eidem peramanter egit ob celebratam Sessionem, ut videbimus; adeoque perquam honorificis humanisque formis usus, illi exposuit, Romam se rediisse Centumcellis, ut consilium de ipsius litteris haberet, eique maturè responderet. Quod ad Reginam spectabat, iam à se illam fuisse in ius vocatam, sex mensibus illi constitutis, ex quibus singula bimestria spatia perinde se haberent ac vnus ex tribus terminis iudicialibus: factum infectum fieri non posse. Si illa resipisceret, filioque permetteret Sacro interesse, cuncta sedatum iri; sin minus, Deum rebus prospeturum. Ita ad illud caput responsum est; adeoque non declarabat Pontifex, sed integrum sibi retinebat ultra progredi nec ne, pro temporis consilio. De altero dicebat, In damnando Castilioneo Cardinali, & Episcopis memoratis, nihil fuisse derogatum pactionibus Gallia: nam ibidem huiusmodi causæ maiores & graues Sedi Apostolicæ referuantur. Si Castilioneus Romæ se sisteret, cum ipso actum iri, quâ par erat cum tanto viro, vrbanitate & comitate, eumque in ea conditione futurum, in qua erat antequam in ius vocaretur; tum si de illius innocentia constaret, absolutum iri: & quamquam sons deprehenderetur, vbi resipisceret, misericordiam consecuturum. Idem respondebat de septem Episcopis, quorum alios esse notorios hæreticos, alios validissimis hæreseos

Zzzz 2

indi

g Littere Borrom. ad Legat. 23. Oct. 1563.

h Apparet ex epistola Ferrerij ad Regina, 5. Nouemb. 1563. Venetis.

i Littere Legat. ad Borrom. 28. Oct. 1563.

k 2. Nouemb. 1563. ut constat ex responso Pontificis 20 Nouemb. 1563.

1563. iudicijs prægrauatos, & cunctos legitimæ monitionis pœnis obnoxios. Se in eos pronuntiasse, *vt in scheda*; & ex beneuolentia in Lotharingum uelle se differre illius subscriptionem vsque ad Cardinalis responsum. Interim secum ille perpenderet, quâ ratione fas esset Pontifici, animarum & Ecclesiæ regimen relinquere penes homines corruptos, adeoque corruptores.

Sed hæ litteræ Lotharingi ac Pontificis post dies aliquot verimque missæ sunt. Interim ille Româ discesserat, animo, sicuti diximus, percipido Synodi absoluendæ; cuius rei gratiâ Pius diploma ad Legatos misit, die decimoquarto Octobris subscriptum, in quo facultatem illis impertiebat Synodi terminandæ, ubi maior Patrum numerus consensisset. Lotharingus Venetijs transijt duplici de causâ¹: prior fuit, vt ostenderet illis Senatoribus, quantum bono Christianæ Reipublicæ conductura essent Concilij finis & vulgatio; in quo multum illi laborandum non fuit, cum Veneti pariter idem sentirent. Altera fuit, vt suaderet Oratoribus Gallis iriditum interuentumque cum reliquis Sessionum celebrationi: sed irritum in eo cessit labor. Studuerat per suas litteras Ferrerius Lotharingum pertrahere ad contestationem comprobandam: cumque hic respondisset, Nolle se illam, quippe iam peractam, improbare; alter tacitâ reprehensione intellectâ rescriptit, Vbi adhuc res integra esset, Regis utilitatem & iussu sibi suafura fuisse, quin & ipsum coactura vt id ageret; multasque ad hoc rationes protulit. Antea verò in litteris, ad Burdesium Cardinalem scriptis, confutabat acribus^m uerbis ea quæ dicta fuerant à Pelueo, ipsum eâ contestatione uoluisse Galliarum Regem alterum Britanniarum Regem reddere. Et, prout mos est lædenti læsum odio profequi, tantoque magis quanto maior is est, & ostendit impensius acceptam à se iniuriam cognosci, omnes quas diximus litteræ, aliaque ab eodem ad Regem scriptæⁿ, liuore ac bili aduersus Concilium aspergebantur. Quapropter etiam postquam Lotharingus Venetijs transierat, alteram ad Regem epistolam addidit^o, artificij plenam, conatus utique illi persuadere, Romæ ac Vicecomitis criminationes, quibus ipse insimulabatur, non à cortice, sed à medulla orationis suæ fuisse profectas, quâ ipse studuerat illæsa Regis iura seruare à detrimentis intentatis.

179. Octob.
1563.

23. Septē-
bris 1563.

5. Nouem-
bris 1563.

Colligitur
ex lit. Ferrerij,
& ueriusque
Oratoris
ad Regem
ac Reginam
5. Nouembr.
1563.

Iam verò in hoc Lotharingi transitu, ab ipso & ab Oratoribus¹⁰ Gallis^o circumspecte ac dissimulanter actum est: etenim noluerunt, alter se parum sollicitum ostendere in regijs priuilegijs tuendis, vituperatâ Ferrerij ad ea custodienda denuntiatione; alteri verò

se nimis auersos à Concilio. Quare se cohibuit Lotharingus, ne 1563.
 damnaret res ab illis gestas: & Oratores, proposito ipsis reditu,
 simpliciter dixerunt, oportere prius à se regia mandata expectari.
 Regi postea exposuere, ipforum reuersione opportunam non esse:
 adhuc rationem persistere, ob quam arbitrabantur se à Rege iustos
 secedere; eam autem esse controuersiam de loco cum Oratore Hi-
 spano, ne in futura Sessione decertandum esset, ubi necesse erat aut
 ipsis functioni interesse, atque ita campo decedere, aut illic iterum
 adesse cum dubitatione prærogatiuæ; unde fuisset euenturum, ut
 eà duplici solempni actione Regis antiquissima possessio turbaretur.
 Vbi tamen occulta aliqua ex causa consentiret Rex, ut Ora-
 tores sui degentes Tridenti functionem non adirent, satius esse no-
 uos mittere, quàm eosdem ipsos qui semper adesse consueuerant,
 quique alioqui defessi erant, nec amplius idonei ad Regi seruien-
 dum; sed tutius sibi videri, nullum mitti: nihil inde detrimenti
 Synodum pati, quemadmodum nec passa fuerat ob diuturnam ab-
 sentiam primi Oratoris Hispanici, qui ad ipforum aduentum dis-
 cesserat: quin antiquissimis Synodis minimè consueuisse Orato-
 res interesse. Ex altera parte, detrimenti non parum inferri posse
 Regiæ Maiestati à præsentibus illic Oratoribus suis, idque ex mul-
 ticiplici capite: Vnum erat id quod exposuerant; siquidem se nec
 Tridentum, nec illam Synodum expertos esse bono cælo præditam
 ad sanam integramque conseruandam ipsius prærogatiuam; alte-
 rum, quod audiebatur, in fine Concilij subscribendum illud esse à
 cunctis Oratoribus, quò Principes, eorumque arma compelleren-
 tur hoc pacto ad ipsum exequendum: tum aiebant, per id non
 modò periclitaturam fuisse Galli, respectu Hispani, prærogatiuam,
 cum in eo temperamentum loci extra ordinem reperiri non possit;
 sed Regis potentiam tricus ac periculis cum sua sui que regni per-
 turbatione obstructum iri. Præterea, velle Patres in ea terminatio-
 ne declarare, hanc Synodum esse duarum præteritarum conti-
 nuationem, aduersus quàm semper à Rege fuerat postulatum;
 præsertim ne comprobaretur tamquam legitima Iulij Synodus, cui
 Gallia & ipsius parens obstiterant.

His rationibus conati sunt Oratores Gallici Regem à Concilio
 seiungere: nec difficile id accidit, cum administrarent Galliam,
 seu potius in eam dominarentur Consiliarij malè affecti. Præter-
 quam quòd in quauis administratione debili, (cuiusmodi era Reg-
 nis pueri, & Reginæ, exteræ feminæ, administratio) ministrorum
 offensio tamquam inuitabilem effectum secum etiam trahit offen-
 sionem

1563. sionem Principis; cùm Regi, ne se à ministris trahi sinat, mens æqualis potestati opus sit. Lotharingus igitur neque tunc neque postea potuit ad Concilium Oratores reducere.

Tridentum ille peruenit quinto Nouembris ¹⁵, & adhuc con-
tendentes offendit Præsides cum Oratore Hispano de peculiari-
bus emendationis articulis. Sed ardentior controuersia futura ti-
mebatur, alia ab ea quæ id temporis minùs feruescere videbatur,
videlicet, de Synodi conclusione. Die tertio postquam peruenit

Lotharingus ¹⁶, Legatos adiit Lunensis, delataque ipsis Regis epi-
stolâ, sibi fidem conciliante, exposuit, à se accepta mandata, vt
regio nomine responderet super litteris, quas ipsi ad Regem scri-
pserant vigesimo Iulij. Conquestos eos fuisse, quòd regij ministri
ad Synodum protrahendam incumberent, quam prolationem aie-
bant esse noxiam, ob Ecclesiarum damna ex absentia Episcopo-
rum, & periculosam, spectatis ijs quæ possent accidere inter re-
rum mortalium vicissitudines, idcirco rogatum ab ipsis Regem
fuisse, vt suos iuberet exitum Synodi facilem reddere. Quod ad hoc
spectabat, fateri quidem Regem, se initio Synodi conuocationi ob-
stitisse, omni studio adhibito ne res conficeretur, vt qui nec arbi-
trabatur eam suis populis necessariam, nec animaduerneret Chri-
stianam Rempublicam ita se habentem, vt hac ratione mala publi-
ca sanari possent: sed postquam Pontificis prudentiæ cesserat con-
sentiendo, non solum per suos Oratores ac Præsules suam illi ope-
ram contulisse, verùm etiam nulli pepercisse officio apud Cæsarem
patrum suum, & apud Reginam Galliæ socrum suam, quò om-
nes conspirarent ad efficaciam illi æstimationemque concilian-
dam: neque quidquam à se diligentia prætermisum, quò sanctæ
fortunatæque Synodi fructus colligerentur. Se celeri terminationi
non aduersari, dummodò consuetis honestisque rationibus id præ-
staretur, cunctis dogmatibus eâ quâ par est curâ perpenis, admo-
toque cunctis corruptelis remedio; ad quæ decidenda & corrigen-
da coactus erat conuentus, quò venerabilis illius æstimatio ac me-
moria tum apud præsentis homines, tum apud futuros permane-
ret. Quod dicebatur de incommodo peculiarium Ecclesiarum,
æstimandum non esse præ commodo vniuersali; pericula verò for-
tuitorum euentuum cunctis magnis ac diuturnis operibus esse com-
munia: quamobrem vbi propinqua non discernantur, amouen-
dam non esse manum ab operibus salutaribus, sed ea Diuinæ pro-
uidentia commendanda. Se Lunensi demandasse, vt pro ea quæ
exposita est ratione, operam nauaret neruis omnibus ad sanctum
illud

¶ Litteræ Le-
gat. ad Bor-
rom. & Acta
Palcotti.

¶ Litteræ Le-
gat. ad Bor-
rom. 8. No-
uemb. 1563.

monii

g. 3333

illud opus celeriter ac fructuosè conficiendum. Conclufit Lunensis, Regem omnino cupere, vt in expendendis dogmatibus debita & consueta trutina vsurparetur, ne obloquendi occasio aduersarijs suppeteret: in legibus verò sancendis opportuna animorum attentio adhiberetur; siquidem ab illis quies & vniuersalis reparatio Christianæ Reipublicæ pendebant.

13 Tum verò Legati: A se litteras illas non nisi firmo fundamento nisis fuisse conscriptas, cum è narrationibus, tum à Nuntio tum Româ delatis, audiretur, dictum à Rege, Synodum esse frenum, quo hæretici coërcebantur, ne auderent peiora; cumque tam crebro difficultates à Regijs ministris, eiusque Præfulibus exciperentur obiectæ, vt viderentur huic planè rhythmo passus suos illi conformare, ostenderentque in hoc ipsum à Rege animum intendi, id à se perniciosissimum putari ob allatas rationes, nec sibi per responsa satisfieri. Quod spectabat ad absentiam Episcoporum ab Ecclesijs, commune bonum peculiari damno anteferendum esse; sed omnium peculiari damnum re ipsa damnum esse commune; præsertim cum hoc damnum non esset ex morbis ordinarijs, sed ex tabificis ac pestilentibus, qui cum peculiari statui noceant, cladem quoque minantur communi. Etenim recentes hæreses, diffusis plus minúsve venenatis vaporibus, vndique facillè poterant quamcumque diocesim contaminare, cui procurandæ non assisteret Præsul. Ingens hoc detrimentum nominis Christiani nequamquam compensari lucro, quod ex Concilij diurnitate sperandum esset.

14 De malo imminente ex alijs rerum vicibus, quæ possent accidere, concedi à se, incertum illud esse; sed tam malum quàm bonum, quamuis incertum, esse id, in quo humana prudentia versatur, quæ tota pariter est incerta, vt dicit Scriptura; & tamen eâ fuisse præditos à Deo mortales, quò per ipsam sibi consulant, nec inconsulto agentes, neque fortuito: palàm esse, incertum quoque frequenter euenire & inter copiosam possibilium vicissitudinum seriem: contingens quidem esse, parumque verisimile, singulas per se acceptas accidere, sed naturale ac probabile, aliquam ex illis per disiunctionem occurrere; adeoque prudentis esse consilij ea opera celeriter absoluere, quibus extantibus, quicumque ex similibus euentibus contingeret, res publicas præcipites ageret.

15 Quod ad postremum caput spectabat, omnino licere res plus minúsve perpendere pro temporis & conditionum opportunitate; nec reprehendi posse trutinam illam, quamuis breuem, tamquam
vicio-

1563.

vitiosam, quoniam recentes hæreses multis iam abhinc annis studium de noua doctrina in cunctis Prouincijs & in cunctis Academijs excitarant; & affirmarunt, cum ibi collectum esset ex quauis parte Reipublicæ Christianæ quod in Theologis excellerebat, periculum non esse, ne ipsi imparati aut peregrini ad præcipuas quæstiones accederent. Quædam subtiliora, minus certa ac minoris momenti, opus non esse ut definirentur; idemque de morum emendationibus dici. Diuturnitas enim antegressa Concilij, tam multa Principum consilia, postulata quæ ab eorum Oratoribus proponebantur, meditationes, ratiocinationesque Patrum, perpetuum ac minutissimum examen fuerant eorum quibus id temporis indigebat Ecclesia. Non tamen à se negari, humanam mentem, quod res amplius cogitat, eò amplius discernere, & acutiori acie eas intueri, cum ferendæ sententiæ tempus vrget; sed à Deo, qui Synodos regit, suoque lumine ea supplet quæ deficiunt humanæ menti, non postulari diligentiam in Patribus exactiorem eam quam præsentibus rerum conditiones permittunt; has verò ad summam breuitatem cogere. Gallos, & Lotharingum Cardinalem liberè dixisse, vbi Synodus non absolueretur, Episcopos illius Regni paratos, quin & coactos ad profectionem esse; tum quia sufficere sumptibus amplius non poterant, tum quia in ipsorum Ecclesijs indices magis hæresis pullulabat cum irreparabili regni dissidio. Vbi reipsa hi discederent, perpenderet Orator pro sua prudentia, quodnam subiretur discrimen, ne respueretur hæc Synodus tamquam non Oecumenica, imò ne Galli sibi consulerent per propriam suæ nationis Synodum, cuius detrimenta Rex Catholicus supra ceteros prudentiâ suâ præuiderat, suoque religionis studio præpedierat. Flammam Galliæ incendium minitari Belgio, Hispaniæ, & Italiæ, sibi finitimis. Si Philippo Regi licuisset præsentem Concilij statum oculis cernere, ipsum sine dubio non modò consensurum, sed stimulatorum fuisse, ut illud breuè absolueretur. Munus esse Lunensis, tamquam ministri præcipui, non præstolari de singulis diserta mandata, quæ tam serò delata videbantur, ut epistolæ, mensè Iulio ab ipsis datæ, responsio mensè Nouembri reddita fuerit; sed eam ratione se gerere, quâ Regi de rebus edocto probatum iri sciebat: cumque comperta ipsi essent vniuersalia Regis vota, admouere ea instrumenta, quæ ipse operi præsens ad illud idonea cognouisset.

Lunensis ab ijs quæ Rex significarat, ad se ipsum purgandum progressus est. Et præter iam productam Regis epistolam, dixit, alteram

16
ram

ram recentiorem, decimoquinto Octobris scriptam, habere apud 1563.
se, in qua certior à Rege fiebat, ipsum accusari, quòd se immoderate gessisset in impediendis cœtibus peculiaribus, & Principum emendatione, de qua ipse dixisset, Vbi ea conficienda esset, velle vt Pontifex præcipue reformaretur. Sed Lunensis, purgatis de more reliquis à se gestis, petiit à Legatis, vt fidem facerent, an vnquam ea verba sibi obiecta protulerit, cum ipse is esset, vt taciturnitate potius quàm loquacitate peccaret. Responderunt, Nec se ad Regem ea scripsisse, nec à Lunensi audiuisse, sed ab aliorum narratione, neque se tantummodò ad Regem scribere: nec linguas, quippe quæ frænari non poterant, in pretio habendas esse. Et placidè finem colloquio imponentes, studuerunt ea negotia procudere, quæ supra incudem versabantur, quòd celebrari posset Sessio, cuius dies præscriptus intra triduum imminebat.

17 Reuerà fuerat in Hispaniam scripta ea Lunensis criminatio; sed à maiori calamo, nimirum à Pontifice ad Nuntium: cui Rex de rebus omnibus, quæ tunc agebantur, respondit scripto, decimâ tertiâ Octobris signato, causamque accusati ministri concinnis modis pro suo more defendit: Se nihil à Lunensi accepisse de ijs de quibus Pontifex querebatur, adeoque nihil certi responderi à se posse: certum esse, demandatum à se illi fuisse summum studium obsequendi Pontifici, Sedemque Apostolicam tutandi. Quare cum ipse Lunensem agnosceret virum apprimè moderatum ac modestum, non posse sibi in animum inducere, eas criminationes aliunde profectas esse, quàm ab hominibus cupidis obturbandæ summæ benevolentia, quæ Pontificis & suum animum coniunctos tenebat. De Protestantibus inuitandis, se ad Lunensem iam scribere, vt huiusce rei cura Cæsari relinqueretur. De Synodi diurnitate aliud non imperasse Lunensi, nisi vt consueta seruanda curaret, & difficulter se credere, Oratorem hos fines fuisse prætergressum. De Patribus per Nationes destinandis nihil à se Lunensi commissum; nec par esse, de hoc à se ferri iudicium, donec de re doceretur. Profectò cum Rex longè distaret, fieri non posse, quin interdum ministri aliquod negotium promouerent ex proprio ipsorum consilio, & ex sola norma generalium mandatorum, quantum Deo suoque Principi conducibile id putarent. Quod ad emendationem Principum attinebat, iam se præuertisse, redigendo in mentem Pontificis aliis litteris, quàm esset importunum præsentis rerum statui, res hasce novas excitari: idque à Rege non dici quòd ad ipsum spectabat; sua enim iura eiusmodi fundamento

Inter monumēta Moroni Cardinalis.

1563.

nitebantur, ut nihil sibi à Synodo timere posset. Quòd Orator obstitisset, ne hoc negotium inceptaretur, nisi prius acceptis à se sui Principis iussis, laudem illi, non reprehensionem deberi. Quòd autem in eo modum ac verba ille vsurpasset, quæ referebantur, velle se diligenter de his inquirere, & vbi ea vera essent, rebus, ut oportebat, consulere. Denique ad id, quod Pontifex proponebat de celeri Concilij fine, ad euitanda discrimina aut suspensionis aut dissolutionis, alio responso opus non esse, cum Rex iam per suos Oratores Romæ Pontifici exposuisset quæ ipse censebat de ratione absoluendi Concilij; sed nihil Regem formidare de duobus obiectis periculis: nam ipse profectò ex vna parte huiusmodi rebus minimè consensisset: ex altera fieri non poterat ut ea contingerent nisi ex auctoritate Pontificis; qui cum grauissima damna prænosceret, credibile non erat ut vniquam eò se flecteret.

Enimuerò tela sine cuspede, esse solent minæ vel expressæ vel tacitæ illorum malorum, quæ pariter nocerent minitanti, nisi idem aut mentis leuitate, aut perturbationis grauitate insanire crederetur.

CAPVT VII.

Postremi cœtus de Decretis, in Sessione vndecimo Nouembris firmandis. Variæ discrepantiæ, præsertim de primis causarum delationibus, ac de immunitate Ecclesiasticorum Collegiorum. Cur leuiter agitaretur emendatio Cardinalium: & suspiciones inter Farnesium & Moronum Cardinales. Dissertatio Româ missa, & à Lotharingo comprobata, de celeri Synodi conclusione.

Litteræ Legatorum ad Borrom. 4. Nouembris 1563.

Sensus Principum de Concilio ita se habebant: inter quos Veneti^a & apud Pontificem Romæ, & apud Legatos Tridenti celeritatis studium, promptumque ad opem ferendam animam egregiè præ se tulerunt. Dies tandem imminens Sessionis Præfides ad curas maximè sollicitas stimulat. Assidui cœtus habebantur, ad quos Decreta postremò correctæ referebantur. Ea correctio confecta erat, eiusmodi ordine desumpto, sicuti diximus, è generali Conuentu, ut dirigeretur sententijs scriptis, quas singuli Patres detulissent, non autem adnotationibus multis ac fallacibus eorum qui erant à secretis.

Id